

*Q. D. B. V.*

VIRTUTEM IN VITA;  
FAMAM IN SEPULCHRO;

*b. e.*

SYMBOLUM

olim

PETRARCHIANUM,

POSTEA

HARTIGIA-  
NUM,

*Ad d. 11. Sept. M DC LXXXV.*

IN GYMNASIO ZITTAVIENSI

Cum

VOTA FERENDA ESSENT

NOVO CONSULI,

SUB MODERAMINE


CHRISTIANI WEISII, RECT.

DECLAMANDO ET VOVENDO

PROSEQVENTUR

OPTIMORUM PARENTUM

FILII



ZITTAVIÆ,

*Typis Michaelis Hartmanni.*





**R**eceptum inter Eruditos semper fuit, præsertim ex quo Literæ humaniores in nostris effloruerunt Academiis, ut, qui Viros claros & illustres, imo & Personas in sublimi dignitate constitutas, eodem secū loco versari cognoscerent, aliquam tantorum Nominum expeterent memoriã. Et initio quidem, si spectemus Lutheri & Melanchthonis tempora, quemcunq; libellum Studiosus haberet charissimum, Præceptori offerebat, ut Nomen suum adjecto sapientiæ vel doctrinæ quodam Symbolo, velut benignitatis tesseram inscriberet. Unde lucem habitura est narratio, oblatam à Juvene Melanchthoni fuisse Sleidani Historiam, cujus munda pagine nonnihil adjiceret, austerum vero Præceptorem projecto ad Studiosi pedes libro demonstrasse, nunquam se permissurum, ut nomen suum legeretur in scripto, de cujus sincera fide semper dubitasset. Sed paucorum nomina capiebant libelli, vel in dispersis ista testimonia continebantur. Quamobrem à Bibliopolis cogitatum de remedio, ut libros dimidiam partem mundos, picturis ac emblematis ita distingverent, ne locus deesset inscribentibus, nec tamen, qui primam admoveere manum rogarentur, nihil invenirent, quod oculis pascendis esset institutum. Neq; defunt ejusmodi Philotheciorum splendida exemplaria, si quis Proavorum vel Abavorum Bibliothecas in suã Familia servaverit integras. At postea crescentibus picturarum artificiis, cum evilescebat lignearū formularum simplicitas, Album quisq; sibi comparabat, quod nudam ubiq; chartam referret, ac tanto commodius Patronorum & Amicorum memoriam sub uno velut conspectu exhiberet. Nec injucunda fuit hæc perlustratio, cum ingeniosis omnia scaterent sententiis, quas in vicem Symboli passim elegerant Viri summi & eruditissimi. Donec in pessimum devolveretur abusum res in se laudatissima, pauciq; superessent, qui Nomen suum inscribere sustinerent, ex quo scirent, Mendicorum & Vagantium ea nunc esse instrumenta, qui non respicerent, quid quivis inscripsisset, quin potius quo Viatico scribendi negligentiam redemissent. Ita vix unum vel alterum inveneris, qui probatã Parentum Avorumq; consuetudine similem à Viris honestioribus operam exposcat. Cæterum cur talia nunc moneamus, cum solennem NOVO CONSULI Panegyrum sumus consecraturi, omnes facile intelligant, quibus non ignota fuerit anni superioris solennitas. Tunc enim Nobilissimo STOLLIO sic dedicabatur Symbolum à B. Parente Consule singulis Studiosorum libellis & appictum & adscriptum



ptum, ut integro Dramati simulq; interspersis Musicorum melodiis occasionem suppeditare videretur. Eadem igitur libertate Successor æquè laudatus, Nobilissim<sup>9</sup> & Maxime Strenuus HARTIGIUS Symboli admonebitur, quò novimus simili in casu gavifum, Parentem HARTIGIUM, solo Nomine, si vel absit Titulus, Magnum. Nunquam enim hanc Studiosis faciebat gratiam, faciebat autem plurimis, quin Petrarchæ verba verè aurea præfigeret: VIRTUTEM COLE DUM VIVIS, FAMAM INVENIES IN SEPULCHRO. Ut adeo qui Virtutem strenuè semper excoluit, qui Exemplo non minus quam Symbolo sanctam hanc culturam vivens subinde promovit, Famam non immeritò tum alibi, tum in Virtutum Musarumq; hac sede possideat salvam & perpetuam. Sed in eo jam eramus, ut CONSULEM qui simul SUPREMI SCHOLARCHÆ Munus in se recepit, Musicis ac Dramaticis actionibus prosequeremur, quod non adeò alienum ab amœno hoc officio videretur ipsum hoc sive Petrarchæ sive Hartigii symbolum. Interim qui domestico Luctu jam diftringitur, etsi publicam felicitatem moeroribus domi conceptis nunquam patitur turbari vel inquinari; modestiore tamen cultu excipiendus, ut nunc in Theatrum prodituri sint Oratores, quibus unum erit opus, Symbolum admirari, istiusq; ductu digredi ad devotam gratulandi pietatem. Tanto autem splendidior sibi Confessum pollicentur Optimi Juvenes, quanto certioribus indiciis Hartigianam hanc memoriam PATRIBUS ac CIVIBUS commendari jam nunc intelligunt. Nam illi etiam, quibus diversa contigit Patria, quod Almam Eruditionis ac Virtutis Matrem in Zittano hoc Gymnasio sibi ostendi gaudent, id quod in Filiis optimum est & laudatissimum, gratulando, deprædicando, vovendo suum explere conabuntur officium. Cæterum ne ignoti nulla sit cupido, quid expectari in succinctâ hac votorum oblatione debeat, breviter describere libet.

I. Auditores Benevolos præparabit Cantio, jam ob variam, quam apud multos obtinuit gratiam, repetenda, quâ nobilis nuper Musicus cecinit, quantum fuerit *Zitta potentibus, excita Regibus.*

### II. CAROLUS PHILIPPUS Stoll

Consulis ab Regimine discedentis Filius, jam Regentis ex Sorore Ne-  
pos in Præfationis vicem, de vario Symbolorum usu differet, quan-  
tum ista passim recepta, tum ad omnem doctrinam, tum ad Virtutis  
cultum contribuant: donec commodâ digressionem ad ipsum B. Avi  
Symbolum delatus, ejusdem ulteriorem sive interpretationem sive ad-  
mirationem à Commilitonibus exposcat.

### III. JOHANNES CHRISTIANUS Eichler ab Auris

Prætoris olim meritissimi Ne-  
pos, quæ sit ea Virtus, quam in hoc  
Symbolo commendari voluerit HARTIGIUS, & quam velut BONI  
MAGISTRATUS Ideam ipse diligentissimo cultu expresserit, demon-  
strare conabitur.

IV.



*IV. JOACHIMUS HENRICUS GRÖNING,*  
Wisnariæ Parentem agnoscens Senatorii Ordinis, Quomodo coli  
debeat ea Virtus, quibusq; mediis inchoari, probari & expediri velit  
sanctus hic cultus, edisseret.

*V. COELESTINUS Hoffmann de Greiffenpfeil/*  
Francofurti ad Viadrum Parente Consule & Consiliario Electorali na-  
tus, nostrog; nunc Consuli aliquam testaturus observantiam, quam-  
diu Cultus iste per vitam exerceri postulet, quibusq; rationibus sva-  
deri hæc constantia possit, exponet.

*VI. CAROLUS CHRISTIANUS JUSTUS,*  
Consulis Nepos, Senatoris Primarii Filius, ad ultima Symboli verba  
progressus, quæ Fama speretur in Sepulchro, quæq; pios imprimis  
Magistratus post fata sequatur, brevi oratione subjiciet.

*VII. JOHANNES Gottfried Schönfeld/*  
Consulis Pronepos, Prætoris adhuc viventis Nepos, ut innotescant E-  
xempla Virorum Virtutis cultu Clarissimorum, qui Famam in Sepul-  
chro tandem feliciter invenerunt, Heroico versu nominabit Consules  
in hac quidem Rep. insignes, è superioribus seculis pauciores, HER-  
TELIUM, GABLONAM, WIGANDUM, SEGERUM, CONR.  
NESENUM, DORNSPACHIUM, ex hoc Seculo, qui jam in Sepul-  
chro de Fama suâ triumphant singulos, RODOSSIUM, PETR. CA-  
PSIUM, NASSUM, BURCHARDUM, HOPSTOCKIUM, EN-  
GELMANNUM, WALTHERUM, GEBHARDUM, SCHNIT-  
TERUM, KINDLERUM, BORNSTEINIUM, MAUERUM, GÜN-  
THERUM, MÖLLERUM, WINCKLERUM, GOTTFR. CAPSI-  
UM, JUSTUM, JOH. NESENUM, STOLLIUM, HEFTERUM,  
GIRISIUM, KOHLIUM, HARTIGIUM, JENTSCHIUM, &  
qui nuper discedens superioris Seculi reliquias secum abstulit MÖL-  
LERUM.

*VIII.* Actum claudet Musica levi & modesto strepitu ultimam  
Auditorum & Benevolentiam & Congratulationem foeneratura.

Et vero ipsum loquitur Argumentum, si vel maximè nulla inter-  
cedant invitantiũ & rogantium verba. Quis enim libenter non audiat,  
quæ præteritorum temporum memoriam ita repetunt, ut è tot Proceri-  
bus Nomine ac Virtute Magnis, divinæ Providentiæ constantissimum  
elucescat documentum. Interim rogamus tamen, sive Patronos, sive  
Fautores vel Amicos appellare par est, ut die craftini, ad II. Pomeri-  
dianam negotiis vestris otium indulgere, bonamq; horam Oratori-  
bus nostris non invidere sustineatis. Si referendis officiis minus valeat  
virium quantulacunq; tenuitas, dabitur profecto opera, ne defuisse  
videatur pia voluntas. Cæterum Servet Deus Zittaviam, ut quem-  
admodum nunc STOLLIO feliciter succedit HARTIGIUS, HAR-  
TIGIO non semel, sed sæpius Successor datus, in nostro etiam Au-  
ditorio laudetur GIRISIUS. P. P. è Gymnasio d. 10. Sept.

M DC LXXXV.